



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Flores Meditationvm

Bebius, Philippus

Coloniae Agripp., 1623

Medit. 21. De miraculosa piscatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59636](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59636)

uiuia, quando vident occasionem esse faciendi fructum, vel adiuuandi aliquem peccatorem; secus non.

8. Etsi alij Euangelistæ noluerint Matthæum suo vulgato nomine appellare, vt eius tuerentur honorem: Ipse tamen iuxta dictum Sapientis. *Iustus prior est accusator sui*, se appellauit in Euangelio Matthæum, & publicanum: vt ostenderet, nemini desperandam salutem, qui velit ad meliorem vitam conuertere: quandoquidem ipse è publicano conuersus est in Apostolum. Vbi & illud discimus, vitia & peccata aliena, quoad fieri potest, semper esse celanda & occultanda, propria autem potius confitenda.

Pro. 18.



MEDITATIO XXI.
DE MIRACVLOSA
PISCATIONE.

PVNCTA MEDITATIONIS.

- I. *Turbis irruentibus prope stagnum Genesareth, ascendit, in nauem Simonis vt doceret.* Ioan. 5.
- II. *Finita concione monuit Petrum, vt retia laxaret: qui excusans se quod tota nocte mihi cepisset, ait: In Verbo tuo laxabo rete; cepitq; tantam multitudinem vt socys egeret.*
- III. *Visa hac piscium multitudine S. Petrus,*

Petrus,

Petrus vnà cum Ioanne & Iacobo socijs obstupefacti illum adorarunt, atq̄ omnibus relictis secuti sunt eum.

PROPHETIÆ.

Eze. 47. **A** *Qua autem descendebant in latus templi dextrum ad meridiem altaris.*

De quibus aquis paulo post subiecit. Et erunt pisces multi satis, postquam venerint illuc aqua ista & sanabuntur: & viuēt omnia, ad qua venerit torrens. Et stabant super illa piscatores, ab Engaddi vsque ad Engallim siccatio sagenarum erit: plurima species erunt piscium eius sicut pisces maris magni multitudinis nimia.

DOCUMENTA.

- E** Vangelium refert turbas nulla habita ratione laboris secutas Christum quocunque pergeret, vt verbum Dei audirent. Nec commemorat inter illas fuisse vel Sacerdotes, vel Scribas, vel Phariseos, qui ob doctrinam & sapientiam erant in populo honoratissimi. Vfus & experientia perpetua in mundo docuit, ab hominibus simplicibus, rudibus & pauperibus maximè frequentari Ecclesias, qui cultui diuino, & pietati & pœnitentiæ vltro se dedunt & libentius ceteris verbo Dei audiendo, cum fructu vacant. Sed ex magnis illis Doctoribus, qui sectantur honores huius sæculi, & sapientes sunt apud semetipsos, pauci inueniuntur, qui se se-

riò dedant Christianarum virtutum exercitationi.

2. Christus primò voluit nauiculam, in qua prædicabat, nonnihil remoueri à littore, deinde, iussit eam prouchi in altum vt doceret concionatores, & quotquot funguntur officio alios instituendi & iuuandi, se infirmitati & capacitati auditorum accommodare, hoc est vt non statim eis proponant mysteria sublimia & opera suæ perfectionis, sed primum eos paululum dimoueat à terra, id est à curis terrenis, & cupiditatibus carnalibus, odio peccati, & timore pœnæ auocent; deinde verò ad amorem virtutis & perfectionis alliciât.

3. Dominus prædicauit turbis nonnihil remotus à terra, vt intelligant, quibus incumbit cura alios informandi, eos ab omnibus affectionibus terrenis debere esse alienos.

Facile enim eius doctrina despicitur, cuius vita in parua aestimatione habetur.

4. Christus dixit Apostolis, vt laxarent retia sua in capturam piscium, vt instrueret Prædicatores, quo fine & intentione munere suo fungi debeant, nempe vt capiant pisces, quæ sunt animæ peccatorum per mare huius mundi perditæ errantes, extrahendo eas ex vitiorum profundo, & peccatorum luto, ad altitudinem & puritatem suæ gratiæ. Non autem capiant & piscentur vel vanam gloriam & existimationem, vel commodum proprium, & lucrum temporale. Nam de his dicit Propheta Ieremias. *Seminauerunt triticum, & messuerunt spinas.* Quia verbi Dei prædicationem in quæstum temporalem conuertunt.

Iere. 21.

5. Petrus tota nocte piscatus nihil cepit; de die autem ex obedientia Christi laxans rete
magna

so-
uq3
em-
ecit.
ene-
iuēt
bant
e ad
ima
aris
abita
quo-
audi-
e vel
ui ob
o ho-
ua in
s, ru-
i Ec-
œni-
teris
ed ex
r ho-
apud
se se-
110

magnum numerum piscium cepit. Si vis consequi laborum tuorum primum discute conscientiam tuam, sintne opera tua facta in tenebris & nocte peccati, an verò in diuina gratia luce: Et si in te deprehenderis aliquod peccatum, mox cura, vt per synceram confessionem, & verum dolorem, ac firmum propositum Deum non amplius offendendi, illud ex anima tua elicias, & tunc eiiciendo per diuinorum mandatorum obseruationem bonorum operum rete, referes abundans & aeternum primum in calis.

6. Petrus arbitrio suo tota nocte laborans nihil cepit, at postquam arbitrio Christi laxauit rete, breuissimo tempore duas naues compleuit piscibus. Vnde discimus quantum valeat obedientia; & quod opera facta ex obedientia & consilio nostrorum superiorum, vel Patrum spiritualium prastantiora sint ijs, quæ facimus voluntate propria, eò quòd meritum illorum sit certius & copiosius, horum verò sit incertum, & non ita magnum.

7. Petrus post acceptam miraculosæ illius capturæ gratiam, sese humiliavit, agnoscens se peccatorem & indignum. Inter bonorum malorumq; discrimina, hoc vnum est, quod mali non agnoscant aut confiteantur Deum, nisi quando affliguntur secundum illud.

Esa. 28. Vexatio dat intellectum. Boni verò tam in aduersis, quam in prosperis se humiliant, & reputando se indignos, omnia diuinæ voluntati adscribunt, vt fecit B. Iob, cum dixit.

Iob 1. Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.

8. Petrus se humiliavit confitendo se esse peccatorem, & presentia Christi indignum,

cui

cui Dominus benignè respondens, & maiora promittens, magno fuit solatio. Vnde discimus sicut officium peccatoris est, exemplo Petri & filij prodigi se humiliare, accusando peccata sua, & se indignum diuina gratia reputando: ita Prælatorum & Patrum spiritualium officium esse, peccatores, dum se in eum modum humiliant, non asperis, sed mollibus potius verbis excipere, eoque animare & consolari.

9. Patres veteres quos Deus elegit in capita & gubernatores populi sui, vt erant Patriarchæ, & post illos Moyfes & Dauid, fuerunt pastores ouium. In noua verò lege Petrus, eiusq; socij, quos Christus postea elegit in gubernatores suæ Ecclesiæ, fuerunt piscatores piscium. Quæ duo genera hominum laboriosam in hoc mundo vitam agunt: nam diu noctuque laborant, & multum patiuntur, vt intelligant Prælati & Principes Christiani se non esse vocatos ad quietem, sed ad labores & afflictiones, non ad quærendum se & sua commoda, sed ad lucrificandos alios, eorūq; salutem & incolumitatem omni studio procurandam.



MEDITATIO XXII.
DE SANATA SOCRU

SIMONIS.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Egredientes de synagoga 4. Apostoli, Matt. 8. inuenerunt socrum S. Petri laborantem febre, & rogarunt pro ea. Luc. 4.*

D

II. IESVS